



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen Padi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

§. 4. De Pado fluuio Galliam Cisalpinam alluente.

NVM. 1. Nomen Padi.

DICTVS est PADVS teste Metrodoro Scepsio apud Plinium lib. 3. cap. 16. à voce Gallicâ *Pades*, quæ *picam* sonat, quoniam arbor illiusmodi ad caput eius plurima: cùm linguâ Ligurum *BODINCVS* vocaretur: hoc est *fundo carens*.

ERIDANVS quoque nuncupatus est *Rex fluuiorum* Virgilio, ab Eridano solis filio quem Phaëtonem dicunt, qui fulmine afflatus in hunc fluuium cecidit, vt ait Isidorus lib. 13. cap. 21. Quomodo autem veteres inducti sint in fraudem, & hunc Eridanum Italicum cum Sarmatico confuderint qui ad Gedanum cadit *Dantzich*, diciturque hodie *Radune*, seu *Radanne*, & *Redane*; itémque de Electro ibidem crescente, quod Italiæ perperam veteres affinxerunt: lege bene longam Philippi Cluuerij diatribam cùm in Italiâ suâ, tum in Germaniâ.

NVM. 2. Fons Padi.

ORITVR Padus ex Vesulo monte (hodie *Vesò*, seu *Visò*) aiunt Plinius, Solinus, & Mela: ex triplici fonte, vt volunt Seruius & Isidorus; vt Polybius & Mela ex fontibus. Addunt Plinius & Solinus fontem eius *visendum* esse, vnde occasio errandi Blondo existimanti nomen proprium Padi fontis esse *videndus*; certè Marrianus Capella errandi occasionem abstulit dum eum *Mirabilem* dixit. Ratio autem eius miraculi affertur à Plinio lib. 2. cap. 103. *Padi fons mediis diebus aestiuis velut interquiescens semper aret: postquam passuum tria millia decurrit cuniculo hauritur (hodie ad vicum Pisana) sicque hauritur vt nihil eius appareat; at post duo miliaria iterum emergit:* Plinio quidem in Foro-Vibiensi agro, Solino & Capellæ in Vibiensi agro. Augerur autem maximè ad Canis ortum liquatis niuibus, vt omnes veteres putauerunt, & pleraque flumina Galliarum ebibit, de quibus in Geographicâ descriptione cap. 3. & 4.

NVM. 3. De ostiis Padi.

DE numero ostiorum huius fluminis duplex est veterum sententia.

Pri-